



12,- ♂

vgl. Tl. § 954<sup>2</sup>

diese Abzg. = 00 ♂



00 3 2  
JO. SCHILTERI  
**MANTISSA**


A D

*Commentat. de Natura Success. Feud.*  
2. F. 50.


---

Typis, JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.  
ANN. M DC XCIX.





— (3.) —



## CUPIDÆ LEGUM JUVENTUTI

S. P. D.

JO. SCHILTER.



Uum superioribus annis,  
circa successionem in Ele-  
ctoratu Palatino, extinctâ  
Lineâ Simmerensi , con-  
troversia mota inter Sere-  
nissimas domos Palatinas

Neoburgicam & Veldentinam , egoque  
de ea animi mei sententiam dicere à Sere-  
niss. Principe Veldentino jussus fuerim ,  
non potui autoritatem tam illustrem de-  
fugere , præsertim quum & privatis de ju-  
re respondere teneamur. Sed ita me eo  
in negotio gessi, ut non velut causidicus  
alterutrius partis causam perorarem , sed  
methodo docendi uterer, & fontes genui-

A 2 nos,

nos, ex quibus lis decidenda veniret, recluderem, neque quenquam sententiâ meâ offendiderem, cæteroquin libertate Academicâ securus. Unde factum, quod nullius persona pro adversario mihi proposita, ne cuiusquam Nominis præjudicium fieret; fundamenta vel momenta porrò causæ, prout ab ejus patronis tunc exprimebantur, bonâ fide oportuit referri. Interea temporis Serenissimi Litigantes coram Augustissimo Imperatore Romanorum scriptis pugnarunt usque ad Capitulationem Serenissimi Regis Romanorum, cui decisio hujus litis inserta appetet. Contra eam protestatus quidem Princeps Veldentinus, ex causis tum proditis, sed cum piissimo illius obitu lis penitus sepulta fuit. Nunc post decem circiter annos Vir Clarissimus Jo. Wolfgang. Textor, superioribus Nundinis Francofurtensibus confutare fuit aggressus Commentationem nostram ad 2. F. 50. de Natura Successionis feudalis: id quod quum his diebus perlegerem, visum mihi fuit, non opus esse

esse hac de re ferram contentionis trahe-re, quæ res plerumque sui prostitutionem aliorumque scandalum secum ferre solet. Sed imò sine responsione, ipsius Viri meamque commentationem orbis erudi-ti judicio submittere non vereor, de vi-ctoria non desperabundus. Sed est, Lec-tor Benevole, qui studiorum gratiâ no-biscum versaris, quod Te petam. Solent sæpiissime causarum Patroni, causæ inser-vientes, à vero scopo abludere, colores obducere, & ita si non victoram, saltem applausum populi sibi conciliare. Sunt itaque nonnulla hîc monenda, Tui qui-dem gratiâ, ac docendi, non ex libidine contradicendi aut pugnandi, qui mos, teste S. Paulo, Christianorum non est, sed nec Justitiæ Sacerdotum.

§. I.

**A**TQUE PRIMÒ OMNIUM OBSERVES, LECTOR AMAN-TISSIME, QUÒD UTÌ IN CUVIS DISCIPLINÆ TOTIUS, ITA & IN PRÆCIPUIS EARUM PARTIBUS, *νταῦδεια* NON EST NEGIGENDA: HOC EST EXPLICATIO CUJUSQUE REI GENII AT-QUE NATURÆ, PRINCIPIORUM GENUINORUM AC SPECIE-

A 3 rum

rum diversarum, cuius neglectus ~~an~~ ~~ad~~ ~~so~~ ~~ia~~ appellatur. Itaque tractaturus hanc quæstionem: An successio linealis ex textu aut ratione juris feudalis Longobardici sive Communis defendi possit? ne ~~an~~ ~~ad~~ ~~re~~ ~~m~~ rem agerem, ante omnia exponenda erat natura successionis feudalis, & ejus diversitas pro diversitate feudorum, quoad successionem præsertim. Quum igitur Feuda alia sint juris Longobardici, alia & diversa, juris Francici: illa, ubi successio juris communis, secundum graduum prærogativam, obtinet: hæc, in quibus successio specialis secundum jus primogenituræ & linearum, de una linea ad alteram ordine devolvitur: Jam facilè patet, de una specie ad alteram argui non posse. Porrò in Jure Longobardico, quod Jus feudale commune vocant, tractari feuda juris Longobardici & de successione communi, opidò patet. At Electoratus Imperii feuda fuisse juris Longobardici, ex eo constat, quod Jus feudale Teutonicum æquè ac Longobardicum Jus primogenituræ & successionem linealem ignoravit usque ad Carolum IV. Imp. qui per Auream Bullam primus jus primogenituræ in Electoratum successionem introduxit, & ex feudis juris Longobardici feuda Juris Francici fecit; utrum verò ex toto, an ex parte, altera visio est.

## §. II.

Dixi linealem successionem sive quæ est juris Francici, Jure Longobardico ignorari. Sed hic non offendat, B. L. quod in hoc textu 2. F. 50. Lineæ mentio fit. Neque enim verum est, Linealem successionem esse, ubicunque successor alios linea suæ non parti-

participes excludit: alias enim sequeretur, etiam in allodiali successione & in universum omni, linealem successionem locum invenire, quod absurdum ita demonstro:

Ubicunque successor alios, lineaæ suæ non participes, excludit, ibi est linealis successio,  
**In** omni divisione prædiorum sive feudali sive allodiali, inter plures fratres facta, successor filius unius, excludit cæterorum fratribus lineaes, lineaæ suæ non participes.

**E.** in omni divisione prædiorum etiam allodiali inter plures fratres facta, linealis successio locum invenit. Et consequenter unica est successio in tali casu, linealis, nulla juris communis.

Conclusio est falsa manifestò, Minor certè vera est; igitur necesse est, ut Major sit falsa. Scilicet, potest quis linealem successionem ita fingere, & statum causæ pervertere, se de tali vocis acceptione non est quæstio, verùm de ea, quæ opponitur successioni communi, & quæ primi fratris linea excludit reliquas, ita tamen, ut eâ extinctâ reliquæ non æqualiter, ut in hoc textu, sed ordine una post alteram succedat. De hac specie quæstio est, sed textus nihil de ea continet, sed generaliter duntaxat facit lineaæ mentionem, quatenus ea etiam in communi & Longobardica successione locum invenit.

### §. III.

Porrò & hoc caveas, L. B. ne morem causidicorum sequaris, qui quoties ad merita causarum responsio deficit, recurrent ad *παρεγγα*, aut fingunt, contra

contra quod disputerent. Enimvero in textu nostro tria sunt asserta, primum de descendantibus ejus, cui in divisione fraterna obtigerat fundus, de quo quæritur: alterum de ultimi descendantis sine prole mortui fratribus; tertium de agnatis remotioribus. An primum assertum in controversia fuerit, parum aut nihil ad rem nostram facit. Potuisset quidem in facto fieri, ut lis forte à patruo ex proximitate gradus mota fuerit, sed non affingenda hīc est hypothesis, quasi de sola descendantium successione actum velim, quam magno nisu impugnes. Hoc enim utique est in confessio, quod ex regula successionis communis descendentes primi possessoris primò excludunt collaterales. Deinde illis extinctis, morte ultimi possessoris ~~ātrēvus~~, inter collaterales mortui fratres excludunt remotores agnatos, soli & omnes simul, quia gradu proximiores: post quos demum succedunt isti. Certè nulla hīc linearum successio, et si descendentes lineam constituant, non tam linea per se causa est successionis, sed gradus in illa linea. Cujus ignoratio affectata est τὸ περὶ τὸν φεδρὸν totius hujus disputationis. Itaque si sive ex principiis sive ex textu hoc Juris Longobardici decidenda fuisset causa Latina, certè pro domo Veldentina contra Neoburgicam decidendam fuisse, oppidò manifestum est tum ex ipso textu, quod confitetur pars dissentiens: tum ex ratione, quæ in proximitate gradus consistit, nullâ linearum in successione ratione habitâ, nisi descendantium, nullâ collateralium. Neque credo, Tibi, L. B. satisfacerem, si tibi persuadere vellem, id quidem ex textu ipso ita verum esse, sed ex ratione  
textus

textus contrarium posse argui. Quæ enim hæc esset distinctio? & quis effectus causæ? quæ qualis est, tam oportet etiam effectum esse, secundum veram & non simulatam philosophiam. Neque quicquam apud Te proficerem, si porrò distinguerem inter rationem decidendi universalem & specialem. Certè απαιδελοιαν committerem, si ex ratione decidendi u-niversali casum in textu propositum decisum dicrem, eandemque tamen in conclusionem contrariam vellem retorqueri. Quæ quæso fuerint argutiæ: de Jure Longobardico Agnati non succedunt secundum lineas, sed gradus, quia successio hoc jure non devolvitur à linea ad lineam 2. F. 50. Ergo eodem jure poterit successio devolvi à linea ad lineam. ατοπον & αισθατον foret. Ratio quævis decidendi una est, ea- que adæquata, id quod accurate docuit Antonius Massa, Gallesius, Lib. I. de exercitatione Jurisperitorum. Quamobrem apparet, nihil quicquam solidi ex hoc textu ejusque ratione non superficialiter intellecta, posse pro successione feudi quod est juris Francici, sive linearis, probari.

## §. IV.

Sed properamus ad alteram Visionem de con-textu Aureæ Bullæ, quâ in Electoratibus feudi Francici successio, sive jus primogeniturae fuit utique intro-ductum, sed quæstio fuit inter Dd. utrum ex toto, an ex parte? Scilicet Imperator tres succendentium di-versos ordines constituit; primus est Descendentium, isque non tam primi acquirentis dudum defuncti, sed potius ejus successoris, filii primogeniti descenden-tes hic considerantur. Alter Fratrum: tertius Agna-

B

torum.

torum. Hæc tripartita successio fundata quoque in Jure Romano. Sic enim Justinianus in Novella CXVIII. pr. *Omnis generis ab intestato successio ibrus cognoscitur gradibus, h. e. adscendentium & descendentiū, & ex latere, quæ in agnatos cognatosq; dividit.* Sed quum moribus feudalibus adscendententes locum non inveniant, in Jure Longobardico dispositum 2. F. xi. *Filiis existentibus masculis vel ex filio nepotibus vel deinceps per masculinum sexum descendentiis, cæteri removentur agnati.* Sive fratres sive agnati remotiores. Quomodo porrò secundus ordo Fratrum & tertius Agnatorum discernatur, ab eisdem erit discendum. Ait Justinianus: *Si defunctus neque descendentes neque adscendentes reliquerit, primos ad hereditatem vocamus Fratres; si vero neque fratres neque filios fratribus defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere cognatos ad hereditatem vocamus, secundum uniuscujusque gradus prærogativam, ut viciniores gradu, ipsi reliquis præponantur.* Et in Auth. C. de legit. her. Post fratres fratribusq; filios vocantur quicunque gradu sunt proximiores.

Pariter de Jure Feudali communi d. I. *His vero deficientibus vocantur primò fratres cum fratribus præmortuorum filiis. Deinde agnati ulteriores.* Luculentius id docet Frider. II. Imp. Lib. 3. Constit. tit. 24. c. 2. de successione feudali, ubi primò sunt descendentes in infinitum. Deinde fratres eorum filii. Et tertio in ulteriori gradu positi, scilicet nepotum filii ex fratribus, & qui quidem diverso à prioribus jure censentur. Nec immerito, et si enim Agnati quidem omnes sint descendentes primi acquirentis, non sunt tamen

tamen primi succendentis, primogeniti descendentes: neque etiam ejusdem fratres aut filii. Sed horum quidem descendentes, respectu ultimi defunctorum sunt & dicuntur in specie duntaxat Agnati collaterales, id quod præ cæteris animadvertisit illustris Dn. de Eyben, *Elect. Feud. c. VII. §. 17. pag. 145. fin.* Conf. si vis & Hattyser. *Analys. J. Feud. c. VII. p. 87.*

## §. V.

His ita positis, quæstio de interpretatione Bullæ Aureæ orta fuit, utrum jus primogenituræ in totum h. e. per omnes tres ordines fuit introductum, an verò per priores tantum duos? Ansam dubitandi dedit ipse textus, in quo Imperator lineas fratum, primogeniti usque ad ultimò geniti lineam jure primogenituræ succedere satis clarè constituit. De tertio verò ordine agnatorum vocat ad successionem in Electoratu SENIOREM & PROXIMIORM. Id quod in Bullis specialibus, Palatina ipsa & Saxonica luculentè quoque exprimitur. Unde si contingeret ut duo vel tres in pari gradu concurrerent, SENIOR ab Imperatore vocatus intelligitur. Id quod justæ interpretationis quoque regulis utique convenit, si res aliter exitum habere non poterit, nempe propter naturam Feudi Electoralis individui. Accedit porrò altera Regula justæ interpretationis, quod regulariter non extensiva, sed restrictiva locum in applicatione invenire debeat. Atque hoc solidum fundamentum eversum à causæ Palatinæ patronis non fuit. Postquam autem postea per Capitulationem Regiam ab Imperatore & Electoribus hæc lis

B 2 fuit

12 *J. Schilteri Mantissa de Nat. Succes. Feud.*

fuit decisa, & interpretatio Authentica interposita,  
serius nunc imò perperam hæc **controversia** reno-  
vatur inter hos, qui authentica interpretatione de-  
stituuntur. Vale Lector Benevole & fave.

Argentorati M. Januar.

M DC XCIX.







Kg 954 <sup>16</sup>  
R

ULB Halle  
006 691 803



3

DA








## Farbkarte #13

Centimetres



B.I.G.

# MILTERI FISSA

D  
*atura Success. Feud.*

50.

RIDERICI SPOOR.  
OC XCIX.

00 3 2